vidia suspicionibus, quæ pro irâ & malignitate disceptantium modum accipiunt aut potiùs nullum habent, cùm nullum suspicandi finem faciant homines irati aut maligni. Vigilantium *suspicabatur* Hieronymus, *aut se suspicari fingebat non credere immortalitatem animi nec proinde mortem religionis causâ adeundam.* Suspicaris, *de Samuele Prophetâ loquens*, mortuum, *inquit*, & idcircò blasphemas. *Inferiùs verò:* miror, quòd non dicas, nequaquàm perpetranda martyria, Deum enim, qui sanguinem hircorum taurorumque non quærat, multò magis hominum non requirere. Quod cùm dixeris, imò, ETSI NON DIXERIS, ITA HABEBERIS, QUASI DIXERIS. Qui enim reliquias Martyrum adseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est. *Eum etiam* Hieronymus *variarum hæresium suspectum facere nititur, cùm ex iis, quæ dicebat, de ejus sententiâ esset judicandum, non ea ei affingenda, quæ nequaquàm aperuerat.* Hactenùs judiciosissimus CLERICUS. Jam, si placet, ad decisionem quæstionis nostræ viam paremus atque argumenta, in utramque partem quæ afferri solent, proferamus.

TRACTATIO.

Et verò pro imputatione legitimarum consequentiarum quæ à dissentientibus tamen haud agnoscuntur militare videtur I. sensus communis & sana ratio, quæ consequentias legitimas utique agnoscendas esse dictitat. Jam enim, hoc nisi esset, jus ratiocinandi & unum ex altero colligendi tollendum esset vel saltem parum utilitatis secum ferret II. Praxis Christi, qui consequentias imputavit Matth. XV. 3 sqq. XXII. 31. 32. 42. sqq. Joh. X. 30. sqq. & imputare præcepit Matth. VII. 16. 20. ubi per καρπὸς consequentias ex erroribus profluentes intelligi putant Theologi. III. Praxis Apostolorum, Petri Act. VIII. 20. XV. 10. & Pauli 1. Cor. XV. 12. sqq. Gal. II. 21. III. 1. V. 2. sqq. Phil. III. 18. 19. Tit. I. 16. 1. Joh. II. 4. qui itidem velle dicitur, consequentiæ ut imputentur. Tit. I. 13. IV. Praxis Ecclesiæ primitivæ Patrum-

trumque contra hæreticos, queis passim consequentias imputârunt. V. Praxis Theologorum Reformatorum, qui & Evangelicis, Augustanæ Confessioni addictis, & Remonstrantibus consequentias invidiosas obtrudunt. VI. Summa hujus imputationis utilitas, ut errantes ad absurdum falsitatemque errorum agnoscendam deducantur & pudefiant, iique, qui orthodoxam fovent sententiam, in orthodoxiâ confirmentur veritasque divina sarta tecta conservetur.

Contra imputationem verò legitimarum consequentiarum à dissentientibus haud agnitarum hæc urgeri solent. I. Summa hujus rei &prorsus palpabilis iniquitas. Etenim, quid iniquius est, quàm aliquid alicui obtrudere, quod non statuit, imò à quo abhorret? Et quis est, qui invidiosas consequentias imputari sibi facilè patiatur? Quod itaque tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Itaque ergò ejusmodi imputatio & contra veritatem & contra charitatem impingit. II. Summa imputationis hujus inutilitas, imò damnum summum, ex eâ quod profluit. Certè enim adversarii sic non convincuntur sed exacerbantur & vi passionum suarum abducti dein in sententiâ suâ permanent atque pertinaciam sibi induunt, ex quâ lites infinitæ certaque scandala gignuntur. III. Rigor nimius, quo hâc ratione contra dissentientem insurgimus. Poscit enim lex charitatis, ut infirmitates proximi tàm severâ censurâ haud damnemus. Vide Gal. VI. 1.

DECISIO.

Jam itaque, si sanioris judicii lucernam rebus curatiùs inspiciendis admoveamus, facilè patebit, quid ad decisionem hujus quæstionis dicendum sit. Ut verò acu rem tangamus, regulas quasdam in imputatione consequentiarum probè observandas dabimus, atque, quæ dicemus, quæ proponemus, ita inflectemus, ut, quicunque circa determinationem hujus quæstionis dissentire & diversas in vias abire videntur, in unum vel tandem amici coeant & mutuos in amplexus mutuaque in oscula ruant. Via hæc irenica est